CHRISTIANI VLRICI GRVPEN

SCHEDIASMA

DE

AMORIS ILLECEBRIS

Von

Liebes-Caressen und Charmiren

IN NVPTIAS

TREVERIANAS

ET

GRIESEBACHIANAS

EMISSVRI.

EXSCRIBEBATVR ILNAE, TYPIS MVLLERIANIS.

VIRO

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO

CLARISSIMO

GOTTLIEB. SAMVELI TREVERO

IN ALMA IVLIA

MORALIVM ET POLITICES PROFESSORI

CELEBERRIMO

Affini Suo aetatem Plurimum Colendo

SVA OFFERT OBSEQVIA ET OFFICIA

SVMMI TREVERIANI NOMINIS

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

C. V. GRVEN

Oc quidem tempore, quo Tibi CLARISSIME TREVERE praeclariſſima Virgo SOPHIA GRIESEBACHIANA in matrimoniam fauſto omine collocanda eſt, officii mei ratio, & neceſſitudo quae inter Illam meque intercedit, efflagitare videtur, vt, quemadmodum veteres, cum celebrata ſponſalia, ac ſignatae tabulae eſſent: *Feliciter*! acclamabant, eosdem & ego plauſus gratulabundus emittam. Habet SOPHIA Tua ac reueretur mecum vnum eundemque Auum Venerandum HENRICVM CHRISTOPHORVM OSTERVVALDIVM Calenbergenſis dioeceſios ſummum Praefectum a multis bene annis longe grauiſſimum, cuius in vtrumque innumera extant beneficia apud ſeros poſteros commemoranda. Hinc me quoque iuſtas gratulationis cauſſas ſortiri nemo non videt. Plane cum & Auus ceterique omnes quos cognatione Sponſa caritſima attingit

SO-

SOPHIAM tam humano ingenuoque Viro elocatam laetentur, quidni & ego ad plena laetitiae verba incitatus, in gaudii illius conſortium veniam? Suſcipe igitur TREVERE CLARISSIME, ſiue vt impoſterum mihi compellandus eris AFFINIS PLVRIMVM COLENDE, literas has admodum leues, quibus illud, quod Vobis debeo pietatis officium, praeſtare ſatago, cupioque.

Sed antequam ipſa gratulatione perfungar, liceat praefari quaedam de argumento, quod ab hac feſtiuitate non adeo abhorret, de Amoris illecebris ſiue Gallorum vocibus: Von Careſſen und Charmiren; non eo tamen animo quaſi horum quicquam Te fugiat, quid enim a mea tenuitate proficiſci poteſt, quod non lectum Tibi, aut ſponte ſuccurrat? ſed quod iucunda forte & grata horum ſit futura recordatio.

De illecebris igitur, quae prouocare blande amorem queunt, & quid de his ſtatuerit Romana legislatio agere in praeſens animus eſt. Non deerunt quidem qui hoc ſcripturae genus leuius & iuſto liberius arbitrabuntur, nec meae aetati conueniens iudicabunt, ſed eiuſmodi ſupercilia quae Catonianam ſeueritatem redolent, ſpartana, quod dicitur, nobilitate concoquo, & meo indulgeo genio, quoties hac efflorescente aetate mea oportuna datur occaſio. Illi profecto, qui vi & quadam etiam temeritate lequioris ſexus amores ſibi conciliare ſatagunt, hi credo inanem operam inſumunt. Namque quod iam olim apud Barboſam Theſauro ſuo me legiſſe memini: *Suaderi vigentiam tem poſſe non imperari*, id quotidiana experientia comprobatur, quam optimam rerum magiſtram agnoſcunt

omnes. Ad amandum enim non protrahi, ſed illecebris inuitari puella cupit, ei traditura haec ſacra ſua expugnanda, qui ore blando ad illa venerabundus acceſſerit. Qualia autem illa ſunt amoris irritamenta? His ego nec terminos nec metas pono, quis illa nouerit & enarrauerit omnia. Nos ſaltem tractabimus de BLANDA ORATIONE, & vultu OCULISQUE SUBBLANDIENTIBUS, quibus puellarum iuuenumque formoſa cohors certatim amoris faces ſibi ſubdit. Videamus de BLANDA ORATIONE primum, hac enim amorem quam maxime excitari Tute HONORANDE AFFINIS Tibi optimus iam teſtis eris.

Sed num licitae inter puellas iuuenesque, viros atque feminas ſint blanditiae, quaeſtio non eſt ingrata nec inſucunda? grauem decitionem dabit Quinctus *de Petit. Conſul. c. X. 1.* qui blanditias in cetera vita pronuntiat *vitioſas & turpes, imo cum deteriorem aliquem aſſentando faciunt improbas, cum amicitiorem non tam vituperandas.* Cum ergo amorem alunt fouentque coniuges, id quod ſocietatis ratio efflagitabat recte exſecuti iure meritoque cenſebuntur. At vero cum virgines atque adoleſcentes eiusmodi blanditiis adhibent, ad vagum amorem deſcenſuri res culpa prorſus non caret. Sed Romana Iura quae circa has amantium blanditias ſtatuta nunc propius diſpicienda ſunt. Eum qui blanda oratione alterius pudicitiam adtentat, Praetoris edicto, quod ad coercendas iniurias proditum erat teneri, tradit Vlpianus in *L. XV. §. 19. D. de Iniur.* Quomodo ergo orationis comitate attentari pudicitia poteſt? cum ad ſtuprum puella ſollicitatur, pudicitia eius adtemptatur; quod ICti voce: APPELLARE eloqui con-

conſueuerunt. Neque ad contrectationem impudentiorem proceſſiſſe neceſſe erat, ſed vel ſolis blandis verbis puellam ad concubitum pellexiſſe ſufficiebat. Hinc plus vice ſimplici inculcat Vlpianus: *Appellare eſt blandis oratione alterius pudicitiam adtentare, hoc enim non eſt conuitium facere, ſed aduerſus bonos mores adtentare.* Appellare conuitium cur non eſt? quia nec in coetu nec cum vociferatione blanditiae dicuntur. Quid ergo? bonis moribus quia repugnat infamiam importat, eſtque infamandi cauſſa dictum confer. *d. Leg. XV. §. 12. & 20. Coll. I. 4. §. 4. b.* Puellam quoque quae iuuenem de ſtupro blanditer interpellauit, huius pudicitiam attentaſſe dubitandum non eſt. Quapropter ſi quis tam feminas quam maſculos impudicos facere adtemptauit, illum iniuriarum teneri reſpondit Vlp. in *L. IX. §. ult. D. b.*

Quodſi igitur diſertis verbis ac rotundis concubitum blande exorat iuuenis pudicitia haud dubie habetur attentata, puellaque appellata cenſetur. Num idem autem exiſtimandum ſit, quando cuniculis inſidioſe blandientibus durch ſchmeichelhaffte und verliebte Complimente non adeo aperte pudor oppugnatur, non immerito in quaeſtionem deducitur. Putauimus illud iam alibi affirmandum, ex ſeuera nempe Romanorum grauitate, qua lingua blanda lenem ad amandum inuitationem ſuauiter ſpirans quid monſtri alere credebatur; innuit illud non obſcure Vlpianus cum appellare ait, eſt contra bonos mores adtentare: hi autem erant boni Romanorum mores, vt ab eiusmodi blanditiis ſibi temperaret iuuenum laſciuia. Fingamus iuuenem blanditer loquentem: Tu mea Venus

&

& quae ſunt aliae amantium voces, vel in hunc modum blandientem: maturuiſſe iam puellae flores, & nunc eſſe decerpendos antequam vetuſtatem indepti folia dimittant, vireſcentes colles etiam clementer molliterque aſſurgentes egregium amanti monſtrare receptaculum. Vbique credimus virginum feminarumque pudicitiam apud Romanos adtentatam, quoniam id agebatur, vt ex pudica efficeretur impudica, & praeterea mens puellae credentis & facilis hiſce aſſentationibus commota ad mala conſilia traducenda non erat. Quod tamen putaram alibi hiſce inſidioſis blanditiis, ſi quas puella dederit, iuuenis pudorem non aeque adtentari poſſe, ob ingenium maſculorum firmum ac ſtabile, iuxta illud Ouidii:

Vt corpus tenerum ſi mens infirma puellis
Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.

Hoc iam non generatim aſſeruiſſe, ſed ex facto ipſo a iudice bene calculis poſitis diiudicari malim. Interim ſi quis colludendi animo, hoc eſt, per ludum iocumque virginem ſuauiter compellauerit, hunc non in Edictum incidiſſe recte ICtus iudicauit? quanquam hac quidem aetate, vbi Gallorum commercio in noſtros mores ſe vulgauit conſuetudo liberior & ſolutior, omnia vrbanitatis nomine conceſſita videas. Ad illum pariter qui officii honeſte faciendi cauſſa appellat Praetoris Edictum minus recte producitur *d. L. XV.* §. *32.* quapropter ſi quis coniugem blanditer appellet eum officium honeſte feciſſe credendum eſt.

Sed prodeat nunc deciſio Vlpiani notabilis atque in hunc diem vexata, quae habetur in *L. XV.* §. *15. ff. d. Iniur.*

in

in qua recte optimeque explicanda magnopere desudauit criticorum & interpretum schola: *Si quis virgines*, ICtus ait, *appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur: multo minus si meretricia veste feminas, non matrumfamiliarum vestitas fuissent. Si igitur non matronali habitu femina fuerit, & quis eam appellauit, vel ei comitem abduxit, iniuriarum tenetur.*

Virgines,* matronas,** ancillas,*** atque meretrices,**** habitu apud Romanos distinctas fuisse, probat haec ipsa lex Vlpiani nec obscuro indicio ex eo quod apud Horatium *Satyr. I. 2. 62.* proditum legimus elucescit

- - - Quid inter
est, in matrona, ancilla peccesne togata.

* Virgines si nubiles erant zona cingebantur, sin aetate minores adhuc ἀμίτους siue discinctae agebant; huc facit Callimachi *Hymn. in Dianam. v. 13.*

Da mihi sexaginta trifundi socias Oceaninas
Omnes nonem annos natas, omnes adhuc puellas
Discinctas, sine nondum virginea zona ornatas

Tunicae quoque iniiciebant pallium siue pallam de qua tertio armor. libro ita cecinit Ouidius:

Virginei crines auro gemmaque premuntur
Et tegit auratos palla superba pedes.

** Matronis stolae habendae ius erat, vt hinc stolas appellet matronales Valerius Max. *VI, 1.* & matronale decus *L. XI C t.* Neque enim meretricibus atque inhonestis personis stola vti licebat, vt non iniuria quaesiuisse videatur Mart. *I. 36. 8.*

Quis floralia vestit & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Matronarum vetuſtis crinium inſignibus nouum vitae diſcrimen adieciſſe Senatum autor eſt idem Valerius Maximus *L. V. Cap. II.* Conf. Octauius Ferrarius *de re Veſtiaria L. III. c. 15.* Formam ſtolae idem Ferrarius ex eoque exhibet Samuel Pitiſcus *voce: ſtola.* Matrona vero quae fuerit ex Gellio *XVIII. 6.* diſcimus, ea nimirum quae in matrimonio cum viro conuenit quod in eo matrimonio mancret, etiamſi liberi nondum nati fuerint, vt merito Aelii Meliſſi error ſit caſtigandus, libro cui titulum *de loquendi proprietate* fecit, ſcribentis, matronam eſſe quae ſemel peperit; habet enim ille quem autorem nominet plane neminem.

*** Ancillarum veſtes quaenam fuerint non proditum eſſe vltro confitentur Viri antiquitatum Romanarum & omnis vetuſtatis peritiſſimi Octauius Ferrarius de Re Veſtiaria *L. III. c. 33.* atque Samuel Pitiſcus *egregio Antiquitatum Romanarum Theſauro, voce: ancillaris.* Credunt tamen cum ſtola ac palla interdictae ancillis fuerint, illas tunica breuiori ad medium crus pertinente nulla inſtita aſſuta vſas eſſe, & hac quidem tantum non toga, quam inſuper praeter tunicam meretrices induere cogebantur. Quod vero Faber veſtem ancillarem atram & ſordidam interpretatur, hoc recipiendum non erat, cum talis etiam viliorum feminarum ingenuarum eſſe potuerit.

**** Meretrices breuibus tunicis ad inſtar virilium, & toga vti neceſſe habebant Pitiſcus *in voce: meretrices.* Togatas fuiſſe ex Tibullo (*IV 10, 3.*) mihi videor probare poſſe:

Sit tibi cura togae potior, preſſumque quasillo
Scortum, quam ſerui filia Sulpitia.

aegre patiebatur Sulpitia ſibi ſplendido loco natae a Cerintho praelatum eſſe ſcortum quasillo preſſum hoc eſt lanificio vitam miſere toierans. Poſtque Tibullum in Horatii autoritate acquieuiſſe licebit qui *Sat. I 2. 62. & 78* meretrices togatas indicat Denique non ceruice modo meretrices, ſed humeris etiam atque lacertis conſpicuae

ſpicuae ac ſeminudae erant teſte Ouidio *d. Arte L. III.* contra apud matronas omnia cooperta Horat. *Sat. l. 2. 94.*

Matronae, praeter faciem, nil cernere poſſis,
Cetera, ni Catia eſt, demiſſa veſte tegentis.

Sed ad ipſam Vlpiani deciſionem deſcendamus, & primo loco de communiori interpretatione diſpiciamus: Si quis virgines, ancillari tamen veſte veſtitas appellauit, hunc *minus peccare* dixerat Vlpianus. Id igitur ita plerique interpretantur, qui virginem ancillari veſte veſtitam appellat, MINUS h. e. *haud quaquam*, ſive *omnino non* peccat, ideoque iniuriarum etiam non tenetur Gloſſa in *d. L. XV. §. 15. in voce minus.* C. I. A. §. *XII. ff. eodem.* Lauterb. *Comm. §. 3. b.* Minus ſic accipi ſaepius etiam in iure noſtro conſtat. Et profecto validiſſimae nobis rationes ſuccurrunt, quae illam interpretationem non ſuadent modo, ſed maxime vrgent quoque. Seruis quidem iniuria nulla fieri intelligitur §. *III. J. d. Iniur.* neque enim ex Quiritium iure vllum ciuile caput habent. *L. III. d. Cap. min.* ſed omnis ciuilis iuris expertes, nulli mortuique cenſentur. *L. XXXII. ff. d. R. I.* At vero num idem de virgine honeſta quidem ſed ancillari veſte veſtita iudicandum, hoc eſt quod quaeritur. Et videtur omnino. Primum quod iuuenis ſit errore lapſus, & puella iniuriae cauſſam praebuerit; deinde talem vnumquemque praeſumi notum ſit qualem habitus indicauit. Sed ob iniuriam atrocem quidam etiam ipſi ſeruo iniuriarum actionem conceſſiſſe video, cum igitur ſeruae pudicitia blanda oratione adtentatur, id atrocem iniuriam quis putare poſſet. Non neceſſe habuit Gloſſa hanc iniuriam atrocem negare. Sit

atrox non tamen ipſi ſeruo iudicium dabit Praetor, & hoc qui affirmant, indubitatam Iuris Romani regulam, qua ſeruus nullum caput, nullam facultatem ſtandi in iudicio habere, & omnis denique iuris expers eſſe intelligitur, deſtruunt, & fundamento praeterea quibus ſubniti ſententia haec queat prorſus deſtituuntur. *

* Grauis atque ſupinus plane & merito hic caſtigandus eſt nonnullorum error, qui ipſum ſeruum ſubinde iniuriarum agere poſſe arbitrantur, (videatur Gloſſa ad *h. L, XV. §. 15. in voce : ſentire*) inter hosque Lauterbachium eſſe maxime miror, ita maiori Comm. §. *XII.* ſcribentem: *Sin ſecundum ſerui qualitatem leuiter quid factum, vel grauis iniuria citra domini contemplationem illata ſit, domino exinde non datur actio L. XV. §. 44. & 45. ſed ſeruis d. l. & §. 35.* Si penitius Romana iura contemplamur, optime hic leges conſpirant, resque ita ſeſe habet. Seruis nulla iniuria fieri intelligitur. §. *III. I. de iniuriis* ſi vero quis ſeruo iniuriam fecit vt domino faceret, dominus iniuriarum ſuo nomine agit *L. XV. §. 15. d. Iniur.* iunct. §. *III. I. h.* Si vero non ad ſugillationem domini fecit: aut leuiter ſeruus percuſſus eſt, vel maledictum ei leuiter & ſic domino iudicium non dabit praetor *d. L. XV. §. 44. d. §. III. I.*: aut verberatus vel quaeſtio de illo habita iniuſſu domini, & hoc caſu praetor domino ſerui nomine permittet actionem *L. XV. §. 34. & 43. & 47. in fin. ff. d. Iniur. d. §. III. I.* nec praetor iniuriam inultam relinquet *d. L. XV. §. 35.* aut denique infamatus vel facto aliquo vel carmine ſcripto, & tum cauſa cognita, ait Praetor, iudicium dabo *L. XV. §. 34.* cauſae cognitionem Praetoris vero Vlp. ad ſerui qualitatem porrigendam putauit. *d. L. XV. §. 44.*

Et ne quid diſſimulem, ipſam ego Gloſſam non capio, cum ad §. *XV.* in voce minus annotat: *minus vel nullo modo, vel minus quam ſi id* liber *feciſſet, pro quo facit quod ſubiicit multo minus ſed non placet cum non ſit atrox, vt in Inſtit. eſt §. ſeruis.* Quorſum haec? qui puellam ancilla-

ri

ri veſte indutam appellat, minus peccat, quam ſi id liber feciſſet; non egerat ICtus de ſeruo appellante, iniuriae etiam a liberis hominibus factae leues, ſi a ſeruis factae graues ſunt. *L. XV. §. 3. d. Iniur.* pro *liber* igitur ſubſtitue *liberae*, ſic ſenſus planus euadit, atque omnis difficultas euaneſcit.

Quod autem Vlpianus pergit *multo minus* peccare appellantem, ſi meretricia veſte feminae non matrumfamiliarum veſtitae fuiſſent, hoc ita interpretando Dd. explanarunt. Qui feminam meretricia veſte non matrumfamiliarum indutam appellauit, multo minus, hoc eſt, *nullo modo* peccat. Gloſſa *d. l.* aliique plures. Cum meretrice enim quando apud Romanos coibatur ſceleris nihil admittebatur *L. XIII. §. 2. ad Legem Iul. d. Adulteriis.** quaeque pudicitiam iam vulgauerat huius pudor amplius adtentari non poterat. Feminam autem quae meretricio habitu ſe dedit conſpiciendam, iniuriae, ſi quae appellando illata, cauſſam praebuiſſe manifeſtum, quod meretricio more veſtita in illarum humilitatem ſe ſubmiſit, cuius pudicitia nihili aeſtimatur. Plane his rationibus credo commotum Quintilianum, vt, ſi quis in lupanari cum alterius vxore concubuiſſet, adulterium commiſſum eſſe negaret. *L. VII. d. Inſtitut. Orator. cap. 4.*

* Roma publice meretrices aluit, earumque amoribus iuuentuti interdictum non fuit Cicero *Orat. pro M. Coelio. c. 20*; quid? quod in honeſtorum praediis lupanaria exercita fuiſſe commemorat. Vlp. in *L. XXVII. §. 1 in fin. d. H. P.* Add. Suetonius in Caligula *cap. XLI.*

Concludit denique Vlpianus: Si igitur non matronali habitu femina fuerit, & quis eam appellauit, vel ei comitem abduxit, iniuriarum tenetur. En contradictionem

apertam ac manifeſtam ! Qui feminam meretricia veſte non matrumfamiliarum veſtitam appellat multo minus ſiue nequaquam peccat, neque eo ſecius iniuriarum tenetur. Hic ergo Rhodus hic ſaltandum erat. Spongiam igitur adhibendam ac vocem: *non* iuxta verbum *matronali*, collocatam, diſpungendam, vel etiam adhuc aliam negationem in fine ſuperaddendam putabant, ſiquidem ſententiam priorem communioremque ſaluam cuperent, vt hinc vel legendum ſit, *ſi femina matronali habitu fuerit, iniuriarum tenetur*, vel, *ſi femina non matronali habitu fuerit iniuriarum non tenetur*. Lectionem poſteriorem amplexa eſt Vulgata & Haloandrinâ. Qui non ita pridem ampliſſimum vberrimumque ad Pandectas edidit Commentarium Io. Voetius Pauli filius inque Francquerana Anteceſſor Clariſſimus aliam legi medicinam afferre quaeſiuit, ad illam tamen prorſus recidentem quam ſuppeditauit Vulgata atque Norica; *vix tenetur* legi mauult. Vix nimirum eſſe, ut per impudicos ſermones iniuria fiat matronae vel virgini honeſtae quidem ſed ancillari vel meretricia veſte indutae, ſi non vltra blandae orationis appellationem ad pudicitiam adtentandam proceſſum fuerit. Ita omnem ſibi videntur ſuperaſſe difficultatem qua deciſio Vlpiani tenebatur implicata. At vero ſit ſua vulgatae autoritas, ſit Haloandrinae, ſed maior omnino Florentinae quae habet: *non matronali*, & in fine: *iniuriarum tenetur*, ac dudum fidem vetuſtatis autoritatisque eſt apud eruditos indepta. Illa emendandi ratio, qua particula *non* vel inſeritur vel eliminatur, vulgata quidem ac facilis, perdita tamen minimeque toleranda. Optime ſane Guilielmus

Be-

Beſtius ICtus & Criticus etiam ingenioſiſſimus pariter atque feliciſſimus: *Nil*, ait, *eſt incertius, nil eſt audacius, quam ſi quis omnibus locis qui difficultate ſunt intricati tali cui ſolvendae impar eſt, nulla alia de cauſſa quam propter ignorantiam ſuam aut intrudere velit, aut expellere dictionem:* NON, *quae ſtupendae eſt efficaciae atque unico momento producit ſenſum priori plane contrarium ſed ingenio interpretis accommodatum.* Hae igitur emendationes, quibus legi noſtrae ſuccurrebant interpretes non poterant non diſplicere Viro ſummo ac dignitate illuſtri Cornelio Bynckershoeckio Criticorum facile principi, qui iam profundam antiquitatum Romanarum atque intimiorem iuris ſcientiam ad Gothofredi & Cuiacii gloriam aſcendentem abunde erudito orbi atque eleganti probauit. Ille Vlpianum interrogantem & ita fortius negantem proponit *Obſeruat. p. 444.* hac quidem ratione. Si igitur quis appellat feminam non matronae ſed proſtibulae habitu iniuriarum tenetur? Sic interrogatio illa, ſicuti alibi in iure, hic etiam fortius negabit. Ita exiguo labore ſcrupulos omnes qui apud Dd. reſidebant exemit Bynckershoeckius; namque interrogandi ſignum in fine poſuiſſe quid prohibebat? cum interpunctiones non habeat Etruſcus codex, ideoque ſi iis commode ſanari lex poſſit, illas vbique licito adhibeat bonus ac prudens interpres. Et profecto parum nunc abeſt, quin & ipſe in Viri doctiſſimi meas laudes longiſſime ſupergreſſi ſententiam lubens vtroque concurram. His quidem diebus, vbi cum quodam excellentis doctrinae Viro cuius amicitiam veneror de hac intricata Vlpiani quaeſtione contuli, hic aliud remedium legi propoſuit,

ſemi-

feminamque *non matronali* habitu *virginem* intelligendam putauit, cui vero vt accederem nec dum potui adduci, quae enim non matrona erat, ea vel virgo vel ancilla vel meretrix esse potuit. Quaenam denique femina non matronali veste habeatur ipse Vlpianus h. l. explicat: multo minus si *meretricia veste non matrumfamiliarum* feminae vestititae fuissent. Meretricia ergo vestis & quae ei similis ancillaris, est habitus non matrumfamiliarum siue non matronalis. Liceat nunc afferre etiam quae nobis in mentem venerint, ac denique causſam Tuo CLARISSIME TREVERE iudicio submittere. Putaram autem eum, qui virginem habitu ancillari vestitam blanda oratione appellauit peccare quidem sed *minus nec adeo* ac si virginem suis vestibus indutam appellasset, *adhuc minus* vero peccare eum qui feminam meretricio habitu appellauit. Si igitur non matronali habitu femina fuerit & quis illam appellauerit eum adhuc quidem minus peccare, iniuriarum tamen teneri. Ad hanc quoque sententiam pridem Russardum inclinasse animaduerto, cuius gloſſema ad hanc legem transcripsisse iuuabit, ait vero: *Itaque non tam grauis iniuria fit matronae cum ancillari aut meretricia veste induitur quam cum ſtolam ſuam geſtat, peccat enim quae aliena veſta vtitur, & iniuriae faciendae cauſſam praebet.* Ita interpretatio quidem satis expedita videtur, fateor tamen nonnulla eidem opponi posse quae illam cum iuris analogia collatam dubiam faciant. Sunt autem illa quae pro sua sententia attulit communior Dd. schola quibus & hoc addo quod in *L. III. §. 4. b.* Vlp. docuit, si quis hominem liberum caeciderit, dum putat seruum suum, illum in

ea cauſſa eſſe ne iniuriarum teneatur, exinde ſic recte argumentari licebit, ſi quis feminam honeſtam, dum putat meretricem appellauit, in ea cauſſa eſt, ne iniuriarum teneatur. Quapropter ſi iam quid ſentiam dicendum eſt, nec mihi ipſi aſſentior, ſed adhuc Bynckershoekii caſtra ſequor donec ad accurationem limam omnia reuocandi alia & commodior occaſio detur. Sed ſatis ad huius legis paragraphum XV. ſuccedat eiusdem

Paragraphus primus & viceſimus, quo quidem dicitur, qui turpibus verbis vtitur non tentat pudicitiam, ſed iniuriarum tenetur. Turpia verba quaenam? Sane quando diſertis verbis inuenis concubitum blande petiit, hae voces ac preces turpes habendae, quoniam ſunt contra leges & tamen his pudicitiam adtentari inficias qui eat credo fore neminem. Quamobrem vt ea turpia verba interpretemur oportet, quae ſunt obſcoena nihil blanditiarum habent, nec aliud quicquam quod ad amandum imitari poſſit, ſed modeſtiſſimas puellarum aures magis offendunt, his namque pudicitia non adtentatur. Quod vero inquit: non tentat pudicitiam, ſed iniuriarum tenetur, hoc ita intelligendum non eſt quaſi particula: *ſed*, prioribus opponatur, & qui non tentet pudicitiam iniuriarum non teneatur, ſed hac ratione accipiendum, quamuis non tentet pudicitiam iniuriarum tamen tenetur. Haec de blanda oratione diſſeruiſſe ſufficiant, plura de illa afferri potuiſſent ſed quoniam iam occupata erant a S. Stryckio *diſſ. d. Blandit. iure* lubens meritoque omiſi. Poſtulat propoſiti noſtri ratio atq; noſtrae tractationis ordo vt de vultu OCVLISQVE amantium tacite, BLANDIENTIBVS nunc poſtremo diſſe-

ramus.

ramus. Pauciſſima tamen hic attingam id argumentum alio opportuno loco exſecuturus copioſius. Illos, quibus elapſus eſt animus, quique alicubi amorem tranſtulerunt, tecte etiam ſibi inuicem ſubblandiri ſaepius, quis eſt qui in tanta exemplorum copia negare audeat. Hic puellam contuemur Amaſii oculos paſcentem, hunc ex aduerſo in illam prorſus defixam. Illic alium per plateas iterum iterumque videmus diſcurrentem, puellam in quam commota anxie ſolliciteque requirentem donec oculis capeſſit egregium ſpectaculum. Vbi vero vtrique facta videndi poteſtas tum mireris os blandum venerabundam faciem atque oculos blanditer ſubridentes, quibus mutos quidem, diſertiſſimos tamen ad ſe inuicem allegant amoris teſtes? Haec autem omnia quid aliud ſunt quam amoris irritamenta & quid aliud habent quam ſ[illegible]aos ad amandum aculeos. Sane viſum furorem amoris faſcinantem in Simpoſio Plato habet, quod mutuo, aſpectu oculisque amor & hauriatur & augeatur; atque viſu etiam amorem mentes intrare agnoſcit Virgilius. Sed in iuſtitiam harum illecebrarum, quae oculis fiunt, nunc intuebimur. Plane ex diuino Chriſti oraculo qui ad alterius vxorem impudicos oculos adiecit, ad illam blande ſollicitandam, adulterium commiſiſſe cenſetur. Humanam quidem legislationem incurrere haec amoris irritamenta non potuerunt, quoniam exterius illa non adeo ſeſe exerunt. Iouianum tamen prohibuiſſe apud Nicephorum Calliſtum *L. X. Hiſt. Eccleſiaſticae. c. 39.* lego, ne impudicos oculos in ſacras virgines quisquam coniiceret. Ceterum, viſum, oculosque blandientes amoris praeſumtionem facere Bechmanno *diſſ. de Amore, cap. vlt.* facile largior. Sed

Sed desinam iam tandem AFFINIS PLVRIMVM COLENDE de amoris illecebris Tecum vlterius sermocinari, ne ab iisdem his plagulis diutius auoceris. Tibi nunc puella vultu & forma modesta non minus quam venusta venit appellanda, siue vt ICtus in nostra lege interpretabatur, Tibi nunc pudicitia caste adtentanda traditur. Age ergo Tuam quae nunc in manum conuenit blanditer apbet, nec iudicium Praetor dabit. Tuam interim cauſſam ſiue appelles, siue adsectaris SOPHIAM, siue abducto comite bella inestina geras, ipse Vlpianus aget. At quantum in iure nomen! Hunc iam supra audiuisti respondentem, qui officii honeste faciendi gratia appellauit adsectatusue est, illum in Edictum non incidisse. Verum vt iam partes meas, hoc est, gratulandi officium rite rectequo exsequar, nuptiarum festiuitatem etiam absens pio cantu, pio celebrabo HYMENAEO. Equidem disputant eruditi quid sit hoc verbi Hymenaeus. Nonnulli Deum & autorem nuptiarum crediderunt, in cuius honorem acclamari Hymenaeus sueuerit. Et hunc ita effinxit Seneca *Med. l. 67.*

Et tu qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dextra,
Huc incede gradu marcidus ebrio,
Praecingens roseo tempora vinculo.

Alii apud Proculum in Chrestomathia narrant Terpsichorae filium Hymenaeum mox ducta uxore, e thalamo euanuisse, ad quem inuestigandum in nuptiis Hymenaei acclamandi inualuisse consuetudinem. Alii iuuenem ipso nuptiarum die ruina domus oppressum produnt. Latantius

ctantius verp. ad *VII. Thebaidos Statii librum*, quique illum ſequitur Seruius *ad 1. Aencid. Lib.* iuuenem Athenienſem memorant, qui, cum Athenienſium Virgines a piratis raptas, reſtituiſſet, puellam ex iis vxorem diu votis optatam acceperit. Quod coniugium quia felix fuiſſet, Athenienſibus placuiſſe in nuptiis Hymenaei nomen vſurpare. Quam ex his quis elegerit ſententiam noſtra quidem parum referre poterat. Meae quidem menti propoſitoque accommodatior ea ſignificatio eſt, quam Hymenaeo in Chreſtomathia Proculus impertitur. *Felicis ergo*, liceat Proculi verba hic mea facere, *vitae acclamationem eſſe puto, praeſentibuaque fidam matrimonii ſocietatem cum mutuo amore comprecari: Aeolica dialecto votum inneſtendo, quaſi ὑμεναίων & ἐμοεῖν h. e. vna habitare & eadem ſentire, concorditer viuentes optarent.* Cum igitur in domum iam noua haec nupta deducitur AFFINIS PLVR. COLENDE vitam felicem & fidam matrimonii ſocietatem & mutuum denique amorem apprecaturus, gratulabundus accino:

IO HYMEN HYMENAEE, IO HYMEN!

Scribebam Ienae d. XXIII. Febr.
A.R.S. M DCC XV.